

uissimum morbum incidit, cuius vi tandem, non sine ingenti omnium luctu, extinctus est. Cn. Sentius (nam Piso, iussu Germanici prouincia excesserat) de consilio legatorum Suriæ præficitur. Agrippina ascendit classem cum cineribus Germanici, liberisque Romam contendens. Piso accepto nuncio mortis Germanici apud Coum insulam, eoque intemperanter cum Plancina vxore vsus, redit ad prouinciam, Domitio Celere in eam ideo præmisso, vt quicquid hominum posset, armaret. Ipse cum eò rediisset, cum ea manu, quam in modum legionis composuerat, Calenderim Ciliciæ castellum admodum munitum occupat; in quo cum se aduersus Sentium, à quo obsidebatur, non se defendere posset, tandem victa pertinacia, & traditis armis, naues, ac tutum in urbem iter obtinuit. Germanici mors Romæ nunciata tantum luctus, dolorisq; populo Rom. attulit, vt spòte omnes insignia luctus sumpserint. Honores ei, qui maximi potuerunt, decreti sunt. Liuia soror Germanici nupta Drufo, recenti adhuc mœstitia, duos virilis sexus simul enixa est. Eodem anno cautum est, ne quæstum corpore faceret cui pater, auus, aut maritus eques Rom. fuisset. In locum Occiæ, quæ septem, & quinquaginta per annos Vestalibus sacris præfederat, suffecta est Domitii Pollionis filia. Arminius, pulso Maroboduo regnum affectans, armis petitus, dolo propinquorum cecidit.